



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd definitio iniusta soluenda sit. xxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Decreuit sancta synodus, ut à septuagesima vsque in octavas paschæ, & ab Aduentu domini vsq; post consecratos dies, necnon & in ieiuniis quatuor temporum, & in Letania maiore, & in diebus Rogationum, & in diebus dominicis, nisi de concordia & pacificatione, nullus su per sacra iurare præsumat.

Ex cõcil. apud sanctum Medardum, cap. 4.

De illis qui sacramentum regis violant. Cap. XXI.

Si quis laicus iuramentum violando prophānar, quod regi, & domino suo iurat, & postmodum peruersè eius regnum, & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur: quia sacrilegium peragit, manum suam in Christum domini mittens, anathema sit, nisi per dignam pœnitentiæ satisfactionem emendauerit, sicuti constitutum à sancta synodo est, id est, seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. Veruntamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia accipiat. Episcopus verò, presbyter, vel diaconus, si hoc crimen perpetrauerit, degradetur.

Ex dictis August.

De illo qui audierit vocem peierantis, & assensum præbet. Cap. XXII.

ANIMA quæ peccauerit, & audierit vocem peierantis, & testis fuerit, aut ipse viderit, aut conscius erit, nisi indicauerit portabit iniquitatem.

In Leuitico legitur.

De hoc, quod Apostolus Spiritum sanctum testificatus est. Cap. XXIII.

Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi reddente conscientia mea in spiritu sancto.

Apostolus dicit.

De eadem re. Cap. XXIII.

Hieronymus dicit: Iesum testor, & sanctos angelos eius.

Ex dictis Hierony.

Quod definitio incanta soluenda sit. Cap. XXV.

Definitio incauta laudabiliter soluenda, nec præuaticatio est, sed temeritatis emendatio.

Ex cõcil. Hibern. cap. 1.

De eadem re. Cap. XXVI.

Si puella sita in puerili ætate in domo patris, illo nesciente se iuramento constrinxerit: & si pater statim, ut audierit, contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.

Ex eodẽ, cap. 3.